



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-705486-p0001-9

DFG



17398.

1795,7.

PROCANCELLARIUS  
D. HENRICVS GOTTFRIDVS  
BAVER  
ORDINARIUS  
SVMMOS IN IVRE HONORES  
CHRISTIANO GOTTHELF  
HVBNERO

A. M.

IN AVDITORIO IVRISCONSVLTORVM

D. XXIV. SEPTEMBR. A. C. MDCCXCV

IPSO MERIDIE

T R I B V E N D O S

INDICIT

---

I N E S T

Responfor. Iur. LVIII. et LVIII.

PROCLVNC ELLARIA  
D HENRICAS GOTTERIDAS  
BAEER  
ODIARIA  
SVMOS IN IURE HONORES  
CHRISTIANO GOTTHLIE  
HABINGER  
IN AUDITORIO MARCIONISTORUM  
A. XXVII SEPTEMBER. A. O. MDCXXA  
1520 MERIDIDI  
TRIUMPHUS

KÖLNISCHER DRUCK UND VERLAG VON J. F. TRÖMEL

B. C. D.

## RESPONS. LVIII.

## *De acquaestu per operas uxoris.*

Societas matrimonio contracta non admittit solum inter sociatos aliquam subordinationem, sed etiam suadet. Profecto enim nihil excogitari potest, quod magis idoneum sit ad profligandam ex hac societate discordiam, quam diuino humanoque iure tributa viro maior auctoritas. Ut non mirum, principatum illum maritalem potestatemque diuina lege stabilitam ac *l. 195. §. 2.* et *l. 196. D. d. Verb. Signific.* expressam, antiquo illo et exorbitante rigore, qualem *IVL.* CAESAR *d. B. G. L. VI. cap. 19.* TACITVS *d. M. G. DIONIS.* HALICARNASS. *L. II. Antiquit. Romanar.* testantur, purgatam, ad nos peruenisse. Eandemque ita comparatam, ut partim mulierem ipsam, partim eius bona viro coniugium quodammodo subiiciat.

Personae subiectio dum simul ad agendum vxorem obligat, non potest non ad ius acquirendi ex parte mariti aliquo modo pertinere. Si non, quod ex antiquis Germaniae mo-

ribus descendit, et adhuc passim obtinere conspicimus, ius singulare, quaecunque durante matrimonio adquiruntur, coniugum communia facit. Et quanquam, missa hac bonorum communione, circa obligationem vxoris ad operas, omnia ad certam normam reduci non patiuntur, ut potius opulentia et egestas, ac in primis conditio personarum, quae, mirum, quantum in ciuitate nostra variet, et a Gallis nomine quidem, re ipsius inquam profligabitur, alia atque alia exigere videatur, haec omnia tamen haud impediunt, quominus certa quaedam principia constituantur, quibus iudicium de aquaestu, mariti, an vxoris lucro cedere debeat, valide superflui posse videatur.

*mu* Consentient omnes, ad mutuum adiutorium sibi vicissimi coniuges obligari. Hoc, quoniam ius nostrum viro, tanquam capiti et principi in familia onera matrimonii potissimum imponit, eumque ad alendam vxorem, alendos liberos, et, qui ad familiam pertinent, omnes obligat, sua natura vxorem obstringit, ut suscipiat curam rei familiaris, et a marito vitae, quod exercet, genere parta, quantum possit, seruare studeat. Nisi pacto coniugum aliter conuenierit. Ut adeo adiutorium illud coniugale non inepte vel naturale, seu, si malis, legale, vel conuentionale, dicamus, nec eorum, quae vxor per naturam rei debet, remissione cum STRYCK, in Vf. Mod. Pand. ad Tit. d. R. N. turpitudinem committi, et propter hanc nihil agi existimemus. Si non quidem apparelt, cur vitio ac turpitudini vertamus vxori, quae, ardin quum

e A

quum opibus abundet, splendidamque marito dotem intulerit, genio suo viuere, reique familiaris curam aliis mercede conductis committere satagit, vel forte litteris et humanioribus incubabit artibus, vel mercatricem agit, aliive negotio, vitae commode transigendae non minus inservienti, praecest. Non enim, quod permultis illustrari exemplis possit, consequitur, vt nihil agat, honestamque vitam non viuat, cui culinae cura, aliue, qui solent plerumque mulierum esse, labores non arrident. Quamobrem, si pacto operae vxoris, per se non turpes, definitae appareant, operas huic pacto aduersantes maritum iure suo non exigere, plane persuasum habeo.

Sin vero hanc in rem nihil conuenerit, sat commode interpres vxoris operas dicunt esse vel obsequiales seu officiales, vel artificiales, et has, vel per se tales, v. c. foeminæ mercatricis, vel in ministerium mariti eiusque vitae generis factas, quas rectius et verius cum WERNHERO ministeriales dixeris, v. BERGER. *Oecon. Iur. L. I. Tit. III. §. VIII. Sed. V.* et WERNHER. *Part. IX. Obs. 236.* Officialesque operas, quibus comprehendo rei familiaris et oeconomiae curam, vel, pro personarum dignitate, certe inspectionem, mutui adiutorii causa dubium non est per naturam rei vxorem debere, iisque para mariti lucro cedere. Eodemque iure in iis vitatur, quae ministerialibus operis acquiruntur.

Vtvero ad huiusmodi operas plane et omnino obligatam eam patem, BERGER. et WERNHER. dd. ll. mihi non persuau-

dent. Ad quam hic prouocat *l. 51. D. d. Donatt. int. vir. et uxor.* de iure rerum ab vxore possessarum agit, adeoque ad rem praesentem non pertinet. Mutuumque adiutorium BERGERI argumentum, hoc vnum efficit, vt alter alterum pro status et conditionis suae ratione iuuet, nequaquam vero, vt ad insolitas, de quibus nemo cogitasse praesumitur, simul operas obligetur.

Vt, si quis ancillam, operis eiusmodi inferuentem, vxorem duxerit, si non de alia virtusque voluntate constat, vel tum propter *l. 46. D. d. Oper. Libertor.* an debeantur, non inepte dubitetur. Verba enim ibi obvia: *Liberta, si in concubitu patroni esset, perinde, ac si iupta eidem esset, operarum petititionem in eam dari non oportere, constat, tacitam remissionem ipso coniugio factam suadere videntur.* Quod quanquam affirmare, et, quae de operis seruorum proponuntur, ad eiusmodi, quas ipse maritus subit, applicare nolim, hoc tamen, si quid video, lex innuit, ad operas, ad curam rei familiaris non pertinentes, et a mulieris conditione ac institutione alienas, ipso coniugio nullam contrahi obligationem.

Eademque lege omnino refellitur CARPOV. Part. III. *Confl. 25. Defin. 8.* et, qui hunc sequitur, MENCKEN. ad Pandect. Tit. d. R. N. §. 29. sententia, opinantium, vel ad eiusmodi operas, quas, vt monui, BERGER. d. l. artificiales stricta sententia tales appellat, marito vxorem obligari. Prouocant ii quidem ad *l. 19. §. 1. D. d. Pecul. l. 48. d. Oper. libertor.* et *l. 31. d. Donatt. int. vir. et uxor.* Ista de seruo dotali agit,

agit, cuius quoniam conditio a muliere plane diuersa est, rem nostram non attinet, haec ad quaestioneum, cuius sint vxoris arte perfecta, respondet, ex quo aequae minus obligatio ad perficiendum consequitur. Illa rem praesentem proxime attingit, eiusque haec verba sunt: *Sicut patronus, ita etiam patrōni filius, et nepos, et pronepos, qui libertae nuptiis consentit, operarum exactiōē amittit, nam haec, cuius matrimonio consentit, in officio mariti esse debet.* Ex quibus CARPZ. et MENCK. sic ratio-cinantur: *Liberta patrono eiusque liberis artis operas debet, consentiente patrono nupta debere definit, quoniam in mariti officio est, ergo consequitur, vt, patrono antea debita, marito debeantur.* Equis vero hiatum in hoc argumento non per-spiciat, non intelligat, officium coniugale operis patrono exhibendis impedimento esse simulque inter se differre posse libertae et vxoris officiorum genera. Quae vere diuersa esse ipsa rei natura, si parium quidem societas est coniugium, in-paresque facit pares, euincit, ac d. l. 46. d. Oper. *Libert.* con-fimat. Accedit, statum coniugalem inter nos obuium, illi Romanorum non omnino consentaneum, mulieribus hac in re fauorabiliorem esse. Ut STRUBENIO subscribere non dubitem 4. Th. 25. *Bedenk.* dicenti, die Frau ist dem Manne nur im Hauseesen behüflich zu seyn schuldig, maassen die Alimentation damit hinlänglich vergütet wird, und das Wesen der ehelichen Gesell-schaft keine Frau zum Besten des Mannes zu arbeiten verbindet.

Quoniam ius marito nullum est, petendi, vt vxor tale quid operetur, correlatorum natura marito, ne quid istius-

modi

modi ab ea fiat, prohibendi facultatem largiti videtur. Quod, ne libertas naturalis, matrimonio quodammodo coactata, non plane exuta, nimis cohabeatur, omnino neque affirmandum, neque negandum, esse ducō. Secundum officia potius, quae mulier ipso matrimonio implere promisit, certe promissae iure censenda est, metiendum. Hinc vir illustri in civitate loco constitutus coniugem, honoris sociam, ne artem vel opificium lucri faciendo causa profiteatur, iure prohibet, iniuria, ne in tali negotio, pingendo, quod exemplo sit, vel cantando, genio suo paululum, et quantum sine valetudinis reiue familiaris, detimento fieri potest, indulget. Verum, qui ex defectu iuris, compellendi vxorem, ut opificium, vel artem, quam callet, lucri causa exerceat, inferre vellet, perceptum ex ea lucrum marito denegandum esse, quod est STRVEENII d. I. ratiocinium, meo quidem iudicio erraret vehementer. Eset enim sere idem, ac si dixeris, non oportet, ut praeter dotem quicquam viro mulier inferat, ut ne dotis quidem constituenda absolute sit necessitas, ergo consequitur, si quid praeterea intulerit, lucrum ex eo maritum capere non debere. Et quis talia contra ius nostrum propugnaret. Longe probabilius hoc esset ratiocinium; Inops pariter ac diues mulier L. ult. C. d. donat. ant. mpt. coniugium inire valet; Hoc nihil impediente, substantiae, quam diues intulit, fructus iure suo maritus capit; Quidni adeo, si arte quadam polleat, maritus iure suo postulet, ut suo commodo eam exerceat. Cui argumento essi ipsa regula

regula concedendum non est, quoniam, quod vidimus, si non alia circumstant, propter status ac dignitatis maritalis participationem, mulier iure existimanda non est in eiusmodi obligationem consensisse, certe, ex arte sua, pace vel iussu mariti lucrum faciat, quid impediat non video, quo minus ex illo maritus eandem capiat utilitatem, quam finunt leges ex vxoris bonis percipere.

Alii in arte, quam profitentur, et qua pollut, eaque exercenda, et aliis approbanda, alii in possessione diffusi ac splendidi patrimonii sibi placent. Vtque ex suo vitae subsidia sibi quaerit. Ut vel quis tempore sapientes diuitis, quas quis in se habet, maius pretium adscripserint. In hominibus infimae fortis quotidie vtrumque coniugem suos labores aequo marte perferre, vtrumque suas operas in communem utilitatem, ad suam suorumque vitam, si non commode, aegre transigendam, conferre conspicimus. In his quaestione de obligatione, huius vel illius generis operas preferendi peragendique, ipsa necessitas otiosam facit. Quam ob rem non appetat, si aliis fors magis opportuna cessit, qua specie maritus commodo ex honesta coniugis arte capiendo destituendus esse videatur. Si obueras, labores plebis viles et mercede conducendas esse, hanc artes liberales respuere, aequum igitur et ad erigendos ciuium incendendosque ad insigniora animos consultum esse, vt sine sexus discriminne artifex suo honorario sibi fruatur et gaudeat. Nec hoc argumento, si rem praesentem curate intropicinus, quicquam

B

effici-

efficitur. Ut manifestam potius iniuriam eiusmodi sententia iniquitate inque redoleat. Iniquitatem, quia mutuum adiutorium a coniuge coniugi debitum offendit, iniuriam, quia ius nostrum pecuniam peculiis filiorum familias similem ius nostrum respectu ad vxores habito ignorat, nullamque nisi receptitiam, pacto quippe antenuptiali receptam, libero eius arbitrio relinquit. Ecquis vero, quum sciamus, sui iuris remissiones strictissimam exigere interpretationem, ex venia mariti lucrum ex arte capiendi, lucri istius donationem consequi crediderit.

Quae quantum ita sunt, MAEV. ad Ius Lubec. P. II. Tit. II. art. 12. n. 134. §. CARPZ. P. III. Conf. XXV. Def. 10. et MENCKEN. ad Pandect. Lib. XXIII. Tit. II. §. 29. existimantibus, quae vxor arte sua pepererit, mariti propria esse, haud subscribo. MAEVIVS, cui caeteri adstipulantur, prouocat ad l. 48. D. d. Oper. libertor. quae dum officiales non artificiales coniugis operas memorat, ad nos pertinere non potest. Dein ad l. 31. et 51. d. Donatt. int. vir. et vxor. Illa in ministerio mariti factas, non artificiales respicit operas, haec vero eius sententiae non auxiliatur, potius aduersatur. Scilicet, quo ipso presumptionem constituit, vi cuius, si dubitetur, vnde quid habeat mulier, euitandi turpis quaestus causa, existimandum est a viro ad eam pertuenisse, consequitur, fieri posse, vt aliunde ex honesta causa acceperit, et sibi habeat. Denique ex ipsa bonorum vxoris natura MAEVIVS hoc sibi videtur posse colligere. Quando enim simpliciter, inquit,

fine


fine villa conditione vxor aite contractum matrimonium, omnia sua bona ad maritum transfert, quae habuit, vel negotiationem, ex quo viueret, vel lucrari quedam solita est, in dotem dedisse censetur, quam sententiam aliorum bonae notae interpretum accessu commendat.

Non immorabor hoc loco interpretum dubitationi ac dissensui, cuius alio loco mentionem feci, bona a muliere viro illata dotis, an aliama naturam habeant. Hoc unum volo, dupli disquisitione opus esse: Altera, per artem quae sita, et alia, bona annon discrimen aliquod intercedat; altera, mulier artem, ex qua perceperit lucrum, ante nuptias professa fuerit, an durante matrimonio profiteri cooperit. Ad hoc enim quod attinet, scimus ea sola dotis iure a quibusdam juris interpretibus, et in foro, quod hanc sententiam suscepit, aestimari, quae statim, quo nupsit tempore, bona mulier viro intulit, quae vero postea, pendente matrimonio ei obuenere, si nulla nuptias antecessit promissio, ob quam pro dote, vel eius augmento habenda sint, censeri paraphernalia. Sit vero ars illa pro obiecto dotali, an vxoris proprio, modo non receptio, habenda, si lucrum ex illa pro fructu assumendum est, quoad illud nihil interesse potest, quoniam nostro iure, quod ex legitima tutela, olim fructuaria, quam viro coniugium tribuit, v. Lib. I. Art. 31. Iur. Prou. Sax. SCHILTER. GAERTNER. aliquie optimiae notae interpretes deriviant, ex paraphernis non minus, quam ex dote fructus maritus capit. Ut solum, si artem quasi rem vxoris pro-

etangis

B 2

priam



priam consideramus, liberius ei circa exercitium tribuere arbitrium debeamus.

In id vero inquirere in primis refert, lucrum, quod arte sua vxor fecerit, cum fructibus vere comparari, sive potius eodem iure censeri patiatur. Et primo quidem, me etiam nihil moneente, omnes intelligunt, ab isto prouento impensis esse detrahendas, quae ad sustinendam ipsam artem pertinent, et sine quibus exerceri non potest. In has procul dubio, quoniam fructus, nisi deductis impensis non intelliguntur, maritus consentire debet, qui artem ab vxore exerceri cupit, vel patitur.

Ipsum vero illud, quod, factis hisce impensis, ex lucro superest, sors potius habenda est, quam vitura. Videlicet fructus in iure nostro soli ii prouentus appellantur, qui secundum naturam, (interitus enim casualis rem non mutat) semper, ac repetitis temporum interuallis, percipiuntur. Hinc viturae ex forte alii mutua data percipiendae, quanquam ipsa sors ob debitoris inopiam desinere potest, sunt fructus. Sortis vero vicem ars sustinere propterea non potest, quoniam sua natura non perdurat, vt potius, si non ex alia causa, certe artificis morte extinguitur. Igitur longe verius lucrum, pictura, sculptura aliave arte quaesitum, si hanc cum forte comparare velis, eius augmentum seu accessionem constituant, quam prouentus metallifodinarum, si in illo quidem longe certior terminus, quo exire debet, quam in his existit. Et quum hos accessionis, quae naturam sui principalis

cipalis induit, iure lex diserte censeat *Conf. Elest.* XXV.  
*Part. III.* quis de illo idem censere dubitauerit.

Quam ob rem quum Hortensia quaedam mercatrix ex mercaturae quaestu sortem aliquot millium ioachimicorum comparasiet, et, mortuo marito illata repetere, an portionem legitimam capere satius esse videretur, dubitaret, sortem illam eius esse, et ad haereditatem non pertinere, interrogatus respondere non dubitabam.

B 3

## RESPONS.

## RESPONS. LIX.

*Quatenus Gerada in legitimam imputari  
patiatur.*

Is mihi in scribendo plerumque est animus, ut, quae mihi certa federit, quam collegium meum consensu firmauerit, sententiam rationibus, quibus equidem conuictus veram existimauerim, aliis approbem. In quam vero hoc loco incidit materiam, eam potius propterea mihi exponendam sumsi, ut, quid in ea verum sit, inueniam. Videbatur enim ab initio legitima, quae iuris Romani innititur constitutioni, cum successione rerum vtensilium, ex moribus Germanorum ad nos translata, coniungi vix posse. Praesertim, quia hanc eius naturae esse scimus, ut mortis caussa dispositione neque adimi, neque minui, patiatur, *Conf. XIV. Part. II.* verbis durch Testament, oder andern letzten Willen kann die Gerade der Niefel zu Nachtheil nicht verändert werden. Hoc nihil impediente *Constit. XI. Part. III.* sic se habet; Dieweil nach Verordnung der Rechte alles das, was die Kinder vermöge einer Willkür, oder sonst aus ihrer Aeltern Güthern bekommen und empfangen, mit in die legitimam gezogen wird, so soll auch gleichergestalt die Gera-

*Gerade in der Töchter legitimam eingerechnet, und demnach also erkannt und gesprochen werden.*

Vt adeo haec XI. Conf. pariter intellectu difficillima, pariterque vtriusque iuris Romani et Germanici confusione redolere eo magis videatur, quo certius constat, reliqua bona, in quibus ordo succedendi ab haereditariis diuersus obtinet, feudalia puto et fideicommissaria, circa succedendi rationem per testamentariam quidem, non vero per legis dispositionem immutationem pati. Cum hac Conf. XI. praeterea oportet coniungere in sequentis, XXXVII. verba finalia; *Aber die Töchter, ob sie gleich Erbe nehmen, so können sie doch auch ihre Gerade fordern.* Hacc enim, respectu simul ad analogiam iuris habito, indubium faciunt, filiabus, praeter haereditariam, geradicam simul successionem deberi. Ab hac regula vero Conf. XI. hanc exceptionem stabiluit, vt, quoniam liberi iure ciuili ad patiendum obligantur, vt, a parentibus non ex iuris necessitate in se profecta, in legitimam sibi imputentur, eandem agnoscant circa res vtensiles obligationem, earumque cum rebus mere haereditariis commixtionem, si lex singularis ex haereditate nihil iis, praeter legitimam eius partem, adscribat.

Cuius exceptionis hac lege inductae ratio quoniam cum d. Conf. XIV. Part. II. omnino in concordiam reduci non potest, consequitur, soli ei patrocinari, cuius fauori ipsa haec

I H I V



haec lex originem debet. Ut non dubitem, eius interpretationi et applicationi, quam CARPZOV. ad hanc *Conf. XI. defin. I.* ad decimam vsque nobis insinuat, omnino subscribere. Scilicet soli viduo, mobiliari defunctae vxoris haeredi, legislatorem eam commodam esse voluisse.

Vt BARTHIVM von der Gerade Cap. II. §. 27. verb. *Deßgleichen, wenn etc.* cum iis, quos in auxilium vocat, dum portionem legitimam bonorum vtensilium, ob haereditatis maternaee inopiam, filii adscribit, grauem errasse errorem, ac HOFMANNO d. eod. argum. Cap. I. §. 108. et CARPZOV. d. *Conf. XI. def. 10.* hoc negantibus accedendum esse, quantacunque sit in foro BARTHII auctoritas, nullus dubitem. Quare, quum ante aliquot menses eiusmodi controuersia nobis proponeretur, filiorum petitionem inanem pronunciavimus.

Caeterum si ponamus, matrem comparando feudo omnia sua bona vel tantam eorum partem impendisse, ut post eius mortem filii sororibus legitimam ex feudo praestare teneantur, filias ab imputatione vtensilium in legitimam propter paritatem rationis immunes non dixerim.

Sufficient haec praemissa inductioni solennium, quae instant

VIRI

VIRI

CLARISSIMI

M. CHRISTIANI GOTTHELF HVBNERI  
 qui, more virorum solidae eruditionis, has nobis modeste  
 vitae suae laudabiliter actae lineas dedit:

De vita mea, profecto, non est, quod multa faciam  
 verba. Nam quid interest ceterorum, cognoscere vitam  
 ab eo actam, cuius nomen obscurum latet? Natus sum  
 Chemnicii, parentibus optimis Ioanne Friederich et  
 Christiana Dorothea, anno huius seculi LXXII. Ab  
 ineunte statim aetate non ad privatos solum, sed etiam  
 publicos patriae scholae praeceptores adductos, ab iis  
 didici, donec XVII annos natus Lipsiam, studiorum  
 causa me conferre possem. Vbi cum per annum REI-  
 ZIO, BECKIO et utriusque ERNESTIO nec non WENKIO,  
 Graecas Latinosque litteras et rerum gestarum memo-  
 riam docentibus operam dedissem, Vitembergam pro-  
 fectus, REINHARDTII philosophicis, SCHRÖKHII histo-  
 ricis scholis interfui. Lipsiam reversus, cum me Iuris-

C

pru-

prudentiae destinasse, BAVERO, BIENERO, EINERTO,  
 RAVIO, SCHOTTO et SAMMETIO, utrumque ius profi-  
 tentibus, assedi. Exacto vero quadriennio et quod ex-  
 currit, cum Illustri ICTORUM Ordini studia mea ita pro-  
 bassem, ut prae ceteris et omnino dignus iudicarer, con-  
 siliūm suscepī, iurisprudentiam p̄suatim et publice pro-  
 fitendi. Impetratis igitur Magisterii honoribus et defen-  
 sa dissertatione pro loco inter philosophiae Doctores,  
 iam annus est, ex quo iuri maxime Romano docendo  
 operam nauauit. De libellis, quos composui, non  
 magnifice sentio, quippe, quos, ni lex maiorumque mos  
 ita iuberent, non commemorarem. Eorum hic est  
 index:  
 1) de vera Esiae et Samuelis Puffendorfiorum  
 patria. Obs. ad hist. litt. pertinens. Lips. 1793. 8.  
 2) Meditationes, quomodo iuuenes iurisprudentiae se  
 destinantes iam in scolis ad studiorum rationem recte insi-  
 tuendam sint praeparandi. Lips. 1793. d. 51. pagg. 8.  
 3) Historiae legg. Romm. ad sepulturas pertinentium  
 adiuncta earum comparatione cum patriis institutis speci-  
 men

men primum. Lips. 1794. 54. pagg. 4. 4) *Ordo iudiciorum Electoralium Saxoniorum ad leges iudiciarias recentissimas adumbratus.* Lipsiae 1795. 114 pagg. 4. apud Göthe. Sed, cum statuisse, supremos in utroque iure honores ambire, huius rei causa Illustris ICtorum Ordo rite a me oratus, ad examen, quod vocant rigorosum me admittere non deditnatus est.

Hoc examine, quod verius colloquium dixeris, se talem exhibuit, quales ut reipublicae litterariae bene consultum sit, omnes optauerim supremae iuris laureae candidatos. Si quidem in omni Iure, Pontificio, Romano, Feudali, Publico, Saxonico, nec non in forensi iurisprudentia se virum praefit. Et quum in eo sit, ut proximo Mercurii die l. 1. C. d. his qui in prior. credit. loc. commilitonibus in auditorio nostro exponat, ac statim inseguente Iouis ibidem horis solennibus Dissertationem, cuius rubrum est: *Historiae legum Romanarum ad sepulturas pertinentium, earumque cum patriis institutis comparationis specimen secundum tueatur, his peractis, statim, praemissa breui oratione, supremos in Iure honores, si multaque iura et priuilegia iis adiuncta omnia, modo spem in Collegio eostro olim assidendi exceperis, ei tribuet collega honoratissimus, D. CHRISTIANVS GOTTLLOB BIENER, vir Illustris, in quem hanc potestatem transluli.*

Vt

Vt vero hanc nostri panegyrin praelentes illustrare et  
condecorare beneuole velint, RECTOREM ACADEMIAE  
MAGNIFICVM, Illustrissimos Comites, Proceres vtriusque  
reipublicae grauissimos, generosissimosque ac generosos  
commititones obseruantissime cupio rogatos.

Scribeb. Lips. Domin. post Fest. S S. Trinitat. XVI.  
A. C. MDCCXCV.

**EX OFFICINA SAALBACHIA.**



Lipitz, Diss., 1795 A-E

KO78

ULB Halle  
006 609 724

3



SB





1795,7.  
PROC  
D. HENRIC  
ORI  
SVMMOIS I  
CHRISTIAN  
H V  
IN AVDITORIC

D. XXIV. SEPT.

IPSC

T R I B

I  
*Responfor. Iur.*

